



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. II. Deum super omnia æstimandum, imò nihil præter ipsum in magna æstimatione esse habendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

amori divino, sive contemplativo, sive practico operam navant omnino necessariam: ut nemo proinde sanctioris vitæ cultor non assidue illam debeat, quasi summam summarum curam habere præ oculis. Præterquam quòd videtur illa ipsa, licet sit propriè affectûs practici species, posse nihilominus absque ordinis propositi confusione inter faciliores amoris divini exercitationes, quales contemplativæ sunt, collocari. Cùm experientia luculenter ostendat, non adeò factu arduam, & rari exempli rem esse, ut, qui aliquos in DEI cognitione progressus jam fecerit, quamcunque illius gravem offensam nullo non malo impensius perhorrescat, & vitet.

## C A P U T II.

D E U M super omnia æstimandum, imò nihil, præter ipsum, in magna æstimatione esse habendum.



Uàm ultra omnem modum, ac proportionem increatum DEI esse creata quævis entia supergrediatur, utque omnis horum dignitas illi comparata nihilum potius, quàm  
rem

rem minimam exhibeat, in superiori libro evidenter perspeximus. Superest jam, ut, quemadmodum diffiteri id nequimus, sic quam maximè expressam illius speciem pro certa, & universali nostrorum quorumvis judiciorum regula menti insculpamus. Cujus rei gratiâ duo mihi videntur statuenda certissimæ veritatis principia. Primum est, veram, propriamque magnitudinem in nullo reperi posse, nisi in ente infinito: quippe quod unum naturæ suæ merito, & citra quamcunque cum aliis comparationem semper magnum, imò maximum, quia omni mensura, & determinatione majus occurrit: secus ac res finitæ, inter quas, ceu advertit Philosophus, (*De Prædicam. c. 2.*) *Nihil est per se magnum*, nempe ullius magnitudinis capax, nisi externæ, & cujus fundamentum aliena tantum parvitas sit: cum omnes absque ulla sui mutatione pro majori duntaxat, vel minori aliarum, quibuscum conferuntur, mole jam parvæ videantur, jam magnæ: quamvis nunquam ita magnæ, ut parvæ simul nequeant vocari, & parvæ revera non sint nec nunquam tales quin aliæ vel existant, vel existere possint majores.

2. Alterum principium est, inter res finitas nunquam fieri posse, ut una aliam, nisi determinato quodam, id est tanto, nec ampliori modo exsuperet: at, ubi infinitum cum finitis in comparationem venit, nullum esse designabilem tantæ amplitudinis modum, quin immensò ultra ipsum intervallò hæc ab illo excedantur. Fieri primum neutiquam potest: nam omnis res finita, cum non nisi determinatæ magnitudinis sit, prætergredi utique aliam, nisi determinatis vicibus nequit: certaque aliqua proportione ipsi respondeat, necesse est, putà proportione centeni ad unū, si centies, vel milleni ad idem unum, si millies sit major. Unde fit, ut, quemadmodum unitas centies multiplicata numerum centenarium, & millies multiplicata millenarium adæquat; sic res minor, toties conduplicata, quoties à majore transcenditur, par huic magnitudine evadat. At, quàm ibi necessaria, tam omnino impossibilis in comparatione infiniti ad finita hujusmodi responsio est. Cum enim hæc, non certis quibusdam solummodo, centenis exempli gratiâ, millenisve, sed innumeris prorsus vicibus ab illo excedantur; nunquam, licèt quomodolibet multiplicentur, eò pertingere magnitudinis possunt, ut  
non

non dicam ei paria, sed eò sint intrà determinatum potiùs aliquem modum, quàm ultra determinabilem quemvis modum minora.

3. Quidnam ergo ex allatis principiis consequitur? Consequitur ex priore, ceu nihil extra DEUM ullo in genere perfectionis, nisi finitum occurrit; sic nihil quoque, illo excepto, posse meritò magnum ullo in genere perfectionis vocari. Ex altero autem consequitur, maximum quodvis ens creatum incomparabiliter minus DEO esse, quàm exiguissimum inter entia creata ipso sit minus: cum hoc ab illo secundùm proportionem aliquam, & certam tantùm mensuram superetur: magnitudinis verò, secundùm quam à DEO ipsum transcenditur, nulla designari possit mensura, nulla fingi proportio. Quapropter, si minimum quid præ oceani vastitate roris gutta, præque solis lampade ignis scintillula, ac volitans per inane atomus ad universitatis totius amplitudinem nobis videtur; immensùm tenuior, & nihilo propior summa quælibet creatarum rerum magnitudo præ divina debet videri. *Quid videatur ei magnum in rebus humanis, ajebat Cicero, (Tusc. 4.) cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? rectiusque nos dicemus, cui infinitas omnis, & Conditoris mundi nota sit magnitudo?*

4. His

4. His porrò constitutis, quæ occurrere difficultas jam potest, in eo formando iudicio, quod hujus capitis titulus præfert, nempe in DEO super omnia æstimando, imò in nulla re præter DEUM magni æstimanda? Certè nihil difficultatis hic superest, ut difficillimum potius, quin & omnino impossibile sit, ad aliter sentiendum mentem inclinare. Si enim nemo, quamvis velit, & conetur, magnam existimare, seu præ toto mari aquæ guttam, seu scintillam præ sole, seu præ mundi universitate atomum potest; quonam tandem pacto ullam rerum conditarum admirari quisquam poterit, nec potius instar nihili ducere præ infinita DEI magnitudine, quæ creata omnia longè immensiùs exuperat, quàm vel aquæ gutta ab oceano, à sole scintilla, à mundi universitate atomus excedatur? Minimè equidem poterit: cùmque ideo tanta sit rei hujusce evidentia; actum agere, in ea studiosiùs tractanda censeri possum: veluti actum agere ab omnibus diceretur, qui sollicita oratione demonstratum iret, potentissimo Regi plus æstimationis, quàm vili mediastino deberi; vel majori in pretio aurum, quàm lutum esse habendum, veritates nimirum per se manifestas, & quibus refragari, etsi maximè vellet,

ani-

animus nequit. Ità , inquam , nonnemini posset videri. Et meritò quidem videretur , si DEI æstimatio , quæ à me commendatur , talis tandem foret , nihilòque illâ potior , quam plerique fidelium in suis animis gerunt : æstimatio videlicet , sive otiosa , & merè possibilis , inque sola suorum actuum facultate consistens ; sive , ubi in actum prodit , languida , enervis , confusa , quæque vix ullo sui sensu animum tangat. At longè dissimilis , notæque melioris illa est , quam ego hic requiro , & quasi necessarium quoddam perfectionis totius , sive in hoc , sive in sequenti libro explicandæ , fundamentum præjacio : æstimatio nimirum crebra divinarum perfectionum meditatione penitùs intrà mentem defixa , & , quàm assiduissimè fieri potest , per vividam , expressámque sui imaginem animo præsens , nec segnis , atque iners , sed actiuosa , & quidquid judiciorum circa alias res humanas concipimus , normæ instar dirigens : quemadmodum in veteri Hebræorum Lege (*Levit. c. 27.*) *Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderari jubebatur.* Qualem nemini rationis compoti , & orthodoxa fide initiato deesse , tantùm à vero abest , ut etiam in sanctioribus viris nunquã reperiatùr ità omnino absoluta , quin usque  
pos-

possit ad ulteriorem suorum actuum quàm præstantiam, quàm assiduitatem proficere. Hanc igitur in præsentis capite tibi, Lector, propono, tamque impensè commendatam esse cupio, quàm ipsummet amorem divinum, cuius assequendi propriissimum, & apprimè efficax ipsa est instrumentum. Cùm enim tantò quodvis objectum amari vehementiùs soleat, quantò sublimiori in æstimatione habetur, si sedula, & frequenti exercitatione mentem institueris, DEUM super omnia, imò nihil præter DEUM æstimare; facilè hinc consequetur, ut DEUM itèm super omnia, imò nihil præter DEUM ames. *Innata clamat ratio, & usus docet, ut tantò sollicitiùs res unaquæque quærat, quantò pluris esse deprehenditur.* Ità in rem nostram Laurentius Justinianus: (*In Fest. SS. Innoc.*) adducto ad confirmationem sui dicti metallorum exemplo, inter quæ, ceu nemo non pluris aurum argento, & argentum plumbo æstimat; sic nemo est, quin primum altero, & alterum tertio plùs amet. *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* (*Fer. 6. 13.*)

5. Cùm itaque palàm aspexerimus, quanta hinc facilitas, indè utilitas iudicii hujus sit, quo DEUS universis rebus creatis ultra o-

B

mnem



mnem modum præfertur; tribus præsertim  
 temporibus enitendum cuique est, ut illud  
 concipiat, & menti semper altiùs infigat. Et  
 primo opportunum huic studio matutinæ  
 commentationis tempus videtur: quo repeti  
 identidem poterit consideratio in undecimo  
 superioris libri capite, ad illius praxim, at-  
 que usum proposita: ità ut juxta rationem  
 ibi expressam statuamus nobis primùm ob  
 oculos præcipua quæque rerum creatarum  
 decora, potentiam exempli gratiâ, eruditio-  
 nem, pulchritudinem, militarem gloriam, &  
 alia ejusmodi, quæ majori apud vulgus in ad-  
 miratione esse solent, singula ad eum usque  
 perfectionis suæ modum, secundum quem in  
 ullo mortalium vel revera unquam extiterint,  
 vel fingi animo queant. Tum objiciamus  
 iis ex adverso eadem decora, qualia, & quàm  
 mira in DEO reperiri tum fides Orthodoxa,  
 tum ipsamet ratio humana persuadet: com-  
 parantes singillatim altera alteris, potentiam  
 potentiæ, scientiam scientiæ, virtutem virtu-  
 ti, gloriam gloriæ, pulchritudinem pulchri-  
 tudini. Demum comperto, quàm prima,  
 etiam in summo excellentiæ gradu, pusilla, &  
 nihili facienda præ alteris sint; exercitatio-  
 nem nostram, qua par est, illorum despicien-  
 tiâ,

tiâ, & horum admiratione claudamus. Hæc, inquam, comparatio poterit subinde in materiam consuetæ meditationis assumi: & sic pluries repetita, æstimationem DEI, summæ illius dignitati consentaneam, omni alia creaturarum rerum æstimatione expulsa, menti imprimet. Sed præcipuè instauranda erit, quoties deprehenderemus, splendidiorem aliquam de humanis rebus opinionem in animos nostros clam irrepisse, Quam, nullo pacto ferendum nobis est, ibi permanere, altioresque paulatim radices agere: sed elaborandum potius, ut quàm primùm indè evelatur: comparatione hac iterum, iterumque usurpata; quoad mens tandem ad pristinam iudiciorum sinceritatem, & intermissam consuetudinem redeat, nihil præter DEUM æstimandi.

6. Secundò, idoneum eidem rei tempus fuerit, cum à profanis hominibus magnifica, & ampullosa oratione hujus, vel illius opes, gloriam, potentiam, & quodcunque aliud terrenæ felicitatis genus extolli audiemus. Tunc enim revocare in remoriam expediet, tanquam nobis quoque inculcatum salubre illud monitum, quo Jeremias suos olim cives Babilone captivos instruxit: præcipiens, nè

Chaldæos indigenas in sacrilego falsorum numinum cultu imitari, sed potius condemnare apud se vellent: *Visâ turbâ de retro, & ab antè adorantes, dicite in cordibus vestris, te oportet adorari, Domine. (Baruch. 6.)* Quapropter nulla habita inanium ejusmodi admirationum, & præconiorum ratione, mentis aciem ad DEUM, unum verè, quia infinitè magnum, & ad illius incomparabilem in eo ipso perfectionis, aut felicitatis genere exuperantiam attollamus: *Dicentes in cordibus nostris, te, te oportet adorari, Domine.* Apage has terrenorum decorum futiles larvas. Nulla est dignitas, nulla gloria, nulla opulentia, nulla altitudo, præter tuam, DEUS, quæ in pretio, & admiratione esse debeat. Tu solus celebrari, solus coli, solus potens, magnus, excelsus, mirabilis dici mereris. *Non est similis tui in Diis, Domine. (Ps. 85.)* Paucis, tali mentis, animique habitu esse ibi nos conveniet, quali foret, qui diu Romæ versatus ignobilem post pagum incoheret. Quemadmodum enim ille, oculos habens magnificis Romanæ opulentiae imaginibus plenos, neutiquam sanè posset magni facere seu rusticas phaleras, quibus loci primores superbè exornati per dies festos incederent; seu domos ultra unam, al-

te-

terámve contignationem assurgentes, quæ ibi cætera inter tuguria pro regalibus ducerentur palatiis: neque hujusmodi opum monumenta, grandiloquo sermone ab indigenis celebrari audiens, induci propterea se sineret, ut eadem ipse quoque pro eximiis haberet, quin potius ea ob majorum ignorantiam demirantes, vel tacitus secum rideret, vel hortaretur Romam ire, palàm visuros, quàm ibi infra privatorum civium fortunam suæ illa essent inopis magnificentix specimina, quantoque justiore causam de iis erubescendi, quàm gloriandi habeant; haud secùs nos quoque, infinitis DEI perfectionibus contemplandis assueti, justaque, id est summa illarum æstimatione imbuti, irrifui habere, & vanitatis redarguere ineptos plausus debebimus, quibus cæcum vulgus mortalium, ob exiguam, vel nullam summi illius, unicéque admirabilis objecti notitiam, paupertinas, ac viles terrenæ hujus regionis suæ pompas consuevit extollere.

7. Tertia opportunitas erit, quando humanum quodpiam extraordinariæ dignitatis objectum, intuendum fortè nobis se præbens, magnifica illa specie mentes nostras in admirationem sui provocare incipiet. Tacita il-

la siquidem humani sensûs titillatione animadversa, retundendæ illius causa, sic nobiscum ratiocinari poterimus. Quidnam adeo mens mea, objecti hujus fulgore perstringeris? nempe eximium, præcellens, & communi modo sublimius videtur. Esto tale sit, quamdiu per se unum absque æmulo, & rivali spectatur. Sed quid, si illius ex adverso aliud appareret, decuplo illustrius, & majus? Nonne illo confestim neglecto, tuam omnem in hoc alterum admirationem transferres? Ità procul dubio. Et multò adhuc magis, si tertium superveniret, centies, & quartum adhuc millies præstantius. Atqui talis DEUS tuus est, non ille decies, centiesve, aut millies; sed infinitis vicibus superans, quidquid in creatis rebus maximè eminet. Quanam igitur ratione ipsi comparatum potes pluris nihilo facere, sive hoc præsens, sive ullum aliud ex creatis, quantæcunque tandem excellentiæ, ac dignitatis objectum? Quodsi fortè occupatis, & in medio rerum actu versantibus, ratiocinationis hujusmodi accuratiùs instituendæ otium non aderit; supplere ibi illam licebit, mente raptim ad DEUM sublevata, brevique aliquod repetendo sacrarum literarum effatum, in quo super creata quævis decora incom-

com-

comparabilis illius magnitudo exaltatur. Cujusmodi esse possunt sive illud in Exodo: (c. 15.) *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia;* sive illud Annæ Samuelis matris: (Lib. 2. Reg.) *Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis, sicut DEUS noster?* sive illud Davidicum: (Ex Psal. 85.) *Non est similis tui in Diis, Domine, & non est secundum opera tua;* sive illud Sapientix undecimo: *Quoniam tanquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram;* sive quod in solemnibus liturgiæ hymno canitur: *Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus;* alia ejusdem sensûs, quorum copiam habere expediet ad corrigendas, ubi usus fuerit, quæ fucum facere improvidis solent, objectorum sensibilibium fallacias.

